

QUAESTIO V

Circa Distinct. 1. in qua agitur de Fruitione et Usu: primo quaero UTRUM SOLUS DEUS SIT LICITE A VIATORE FRUIBILIS? Et arguo quod non. A viator, videns B creaturam, et firmiter credens B esse Deum, licite fruitur B vel frui potest: ergo aliud a Deo est licite fruibile ab A, et per consequens extra capta quaestionis est falsa. Consequentia patet: quia, per casum, B non est Deus. Et antecedens probatur: quia A potest habere licite actum electivum circa B creditum esse Deum, et non potest licite habere usum circa B, stante credulitate quod B sit Deus: quia tunc, quantum in ipso esset, uteretur fruendis; ergo potest habere licite fruitionem circa B, quod fuit probandum. Patet ista ultima consequentia per dicenda inferius; eo quod nullus est actus incomplexus medius voluntatis electivus inter usum et fruitionem, incomplexam saltem.

Secundo sic : formalis beatitudo est aequae bona vel melior ipsi creaturae, quam Deus; ergo ipsa est aequae fruendum licite, sicut Deo. Consequentia videtur pro tanto: quia tanta videtur esse latitudo fruibilitatis alicuius, quanta est latitudo bonitatis ipsius, et contrario; ubi igitur reperitur aequalis bonitas, ibi est et aequalis fruibilitas, et per consequens ubi reperitur aequale vel magis bonum huic, ibi est aequa fruibilitas vel maior. Antecedens principale probatur: quia beatitudo formalis formaliter perficit creaturam beatam et intrinsece, et non sic Deus, ergo. [110]

Tertio sic: aliud a Deo potest satiari voluntatem; ergo illo voluntas licite frui potest. Consequentia patet per B. Augustin. 10. de Trin. cap. 10. dicentem: Fruimur cognitis, in quibus voluntas ipsis propter se ipsa delectata conquiescit. Et antecedens probatur: quia, cum voluntatis capacitas sit finita, ipsa aliquo finito potest quietative satiari: omne autem finitum non est Deus; ergo.

Oppositum arguitur auctoritate Augustini 1. de doctrina Christiana et habetur in littera: Res, inquit, quibus fruendum est, sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

Circa illam quaestionem primo pono terminorum declarationes, cum quibusdam propositionibus: secundo respondeo ad quaestionem aliquibus conclusionibus: tertio respondebo contrariis tactis in principalibus rationibus.

ARTICULUS I

Ponuntur Terminorum declarationes, cum quibusdam Propositionibus.

Quantum ad primum, declaro quid sit Frui. Ubi sciendum, quod licet Frui communiter acceptum extendi possit ad omnem acceptationem alicuius propter se, quo modo dicimus brutum frui cibo, et sic capit Augustin. 83. quaestionum quaest. 30. et multis aliis modis etiam capitur Frui improprie, ut patet in hac 1. distinctione: proprie tamen loquendo de Frui, tunc sit haec descriptio eius:

Frui est Agere naturae rationalis secundum potentiam liberam elicitem, quo aliquid complacet complacentia incomplexa vel amore incomplexo propter se finaliter et ultimate, et non propter aliud.

Dico agere, et non actus: ad denotandum, quod nulla res praecise nominaliter significata est Frui creatum, sed accidens [...] seu contingens est ei (puta actui) quod sit Frui. Unde si ipsa [111] qualitas, ut praecise nominaliter significatur, poneretur in lapide; ipsa maneret utique essentia talis (Deo ipsam conservante) et tamen non maneret Frui idem, si maneret in voluntate, ipsa nihil agente per ipsam. Ad hoc ergo quod sit Frui, requiritur agere verbaliter significatum, quod ponitur in dicta descriptione tanquam genus.

Secundo dixi naturae rationalis: ad differentiam actionum aliarum naturarum non rationalium, quae proprie non fruuntur.

Tertio dixi Secundum potentiam liberam, scilicet secundum voluntatem: ad differentiam actuum procedentium per modum naturae, vel secundum potentias naturae rationalis naturales non immediate liberis; cuiusmodi sunt intelligere, sentire, vegetare [...]

Quarto dixi elicitedum scilicet elective libere, et hoc vel libertate contradictionis, ut in via; vel libertate complacentiae, ut in patria: item vel elicitedum libere contingenter, ut creatura elicitedum; vel immobiliter, ubi Deus agit: item elicitedum aut libere elective ipsam fruitionem coeffectivam producendo, sicut fruitur viator et beatus in fruitionibus non beatificis; id est, quae non sunt ipsum essentiale praemium beatificum, ut dicitur infra in speciali dubio super hoc movendo; aut elective et complacenter conservando fruitionem, et per eam diligendo vel fruendo non autem ipsam coeffectivam producendo, qualiter fruitur beatus per fruitionem quae est beatifica et praemium essentiale, ut inferius declarabo. Et sic per hoc quartum membrum, scilicet elicitedum, excluduntur omnes actus voluntatis non spontanei, quorum nullus est fruitio: cuiusmodi secundum aliquos sunt dilectiones naturales voluntatis, et affectiones, et complacentia, quos principiat voluntas naturaliter ad praesentiam obiecti non libere, ut quibusdam placet; aliis autem videtur, quod respectu talium voluntas se habeat mere passive: quod non curo discutere ad praesens.

Quinto dixi quo aliquid complacet scilicet fruendi, vel sic libere agenti, vel diligitur: et hoc totum intendebat Augustinus per haec verba: Assumere aliquid in facultatem voluntatis: cum describens fruitionem et usum, pro genere utriusque assumit hoc dictum complexum, scilicet Assumere aliquid in facultatem voluntatis: quod quidem commune est omni frui et omni uti, secundum ea quae dicta sunt in membro praecedenti, nam [112] omnibus malis fruendi praedictis assumitur aliquid in facultatem voluntatis; sed hoc quintum membrum quamvis conveniat cuilibet fruitioni, non tamen convenit cuilibet uti, quia non quolibet usu aliquid complacet vel diligitur saltem ut ipsiusmet usus obiectum, ut dicitur in quaestione sequenti.

Sexto dixi propter se scilicet complacitur vel dilectum finaliter et ultimate: iuxta verbum Augustini dicentis ubi prius pro opposita parte quaestionis allegabatur: Fruimur, in quibus voluntas propter seipsa delectata conquiescit, scilicet ultimate. Per hanc differentiam frui distinguitur ab usu.

Septimo adiunxi et non propter aliud: ubi excludo non solum aliud obiectum complacitum, vel dilectum, vel volitum; sed etiam excludo aliam rationem diligibilitatis vel complacentiae in eodem obiecto, ita quod non solum negetur ipsum amatum referri in aliud amabile, sed etiam quod negetur in eodem amabili ratio prior. Exemplum: Si placet tibi Deum esse beatum; et quaeratur a te, Cur tibi sic placet? recte respondebis dando quaestionis quasi rationem diligibilitatis priorem, scilicet, Quia mihi placet Deus. Et sic per hoc ultimum membrum distinguitur frui ab actibus mediis inter frui et uti, qui sunt actus complexi. Et propterea, volens describere frui propriissime, dixi complacentia incomplexa et amore incomplexo: quia amor incomplexus est originaliter prior et causaliter quolibet actu voluntatis alio libero; ergo ipse cum dictis conditionibus conditionatus est propriissime Frui, cum omnes alii (si quaeratur de ipsis per Cur?) referantur in amorem incomplexum: ut in exemplo iam data. Utrum autem sint actus medii dabiles inter uti et frui, et qui sint, et quid amor complexus et incomplexus? videbitur in quaest. sequenti: sume tamen exemplum de amore incomplexo, ut Amo Deum; de amore complexo, Amo Deum esse beatum. Hoc membrum sic expositum roboratur per Augustinum de doctr. Christia. cap. 1. cum dicit: Frui est amore inhaerere alicui propter se: amore scilicet incomplexo, et amore amicitiae; propter se, id est, quod amans nec actu nec habitu complacere in illo propter aliud amatum sive complacitum, sed sistit ibi voluntas et quiescit [113] tanquam in bono ultimato, nec in illo eodem amato habet rationem prioris amabilitatis. Ex hac descriptione sic declarata infero propositiones.

Prima propositio: Nullum brutum proprie fruitur. Patet per hoc, quod dicitur naturae rationalis.

Secunda propositio: Deus propriissime dicitur frui. Probatur quia sibi perfectissimo modo convenit quicquid perfectionis est simpliciter: frui autem est perfectionis non solum in creaturis, sed etiam in creatore, ut patet per Anselm. qui probat per hoc, quod Summus Spiritus diligit se amore infinito: Monolog. cap. 49. et 50.

Tertia propositio: Natura praecise intellectualis non libera, si foret, ipsa non posset frui. Patet per hoc, quod dicitur in descriptione secundum potentiam liberam.

Quarta propositio: Actus simplicis complacentiae cognitionem naturaliter consequentes (de quibus dicit Augustin. Impossibile est quin visis tangamur) non sunt fruitiones proprie. Patet, quia dicitur agere **elacitum**.

Quinta propositio: Nullum nolle est proprie frui. Probatur: quia quodlibet nolle habet rationem causaliter priorem, scilicet amorem aliquem incomplexum; ideo namque nolo Deum esse miserum, quia placet mihi Deus; item nolo tristari, quia diligo gaudere, et sic de aliis suo modo.

Sexta propositio, quae sequitur ex praecedenti: Omnis usus est aliqua fruitione posterior origine et causa. Patet: quia omnis usus refertur in aliud habitu vel actu, id est, omni usu aliquid refertur [...] et ultimate erit status ad fruitionem, vel ad frui quod est causa illius usus. Ex quo sequitur consequenter, quod natura prior est dilectio boni, quam odium vel fuga mali: patet, cum cuiuslibet odii aliqua dilectio sit causa. Ex quo ulterius sequitur, quod praecepta negativa sunt propter affirmativa.

Septima propositio: Amor quo diligitur Deus propter se, et amor quo diligitur aliquid propter Deum non possunt aequari in **[114]** perfectione. Patet: quia specificiter distinguuntur. Non tamen nego, quin tam intenso actu diligi possit proximus propter Deum, sicut diligitur Deus propter se.

Octava propositio: Ad hoc, quod voluntas aliquo obiecto fruatur, non oportet haberi dictamen, quod ipsum amatum sit propter se amandum; sed bene oportet, quod sit cognitum absolute et qualiter sufficit voluntati, scilicet sub ratione boni. Probatur primo: quia alioquin nullus fruere contra iudicium rationis; quod est falsum. Item secundo sequeretur, quod omnis fruens utendis haberet iudicium erroneum; quod similiter est falsum. Sufficit igitur, quod voluntas nec actu nec habitu diligat ipsum dilectum propter aliud, sed sibi inhaereat sine dictamine rationis.

Nova propositio: Nulla volitio causata originaliter ex alia priori volitione eiusdem voliti vel alterius, est fruitio. Probatur: quia in nulla tali sistit ipsa voluntas suum Cur?

Ultima propositio: Nullus actus voluntatis complexus est proprie fruitio. Patet: quia quilibet talis est reductibilis in actum incomplexum priorem, tanquam in causam originalem. Haec quasi omnia traduntur ab Augustino 1. de doctr. Christ. His praemissis:

ARTICULUS II

Respondetur ad quaestionem aliquibus Conclusionibus.

Quantum ad secundum Articulum, sit haec prima conclusio: Licet quodlibet frui proprie dictum respectu creaturae sit peccatum, non tamen quodlibet frui Deo est meritum. Probatur secunda pars: nam existens in peccato mortali pro tunc potest Deo frui proprie; ergo secunda pars Conclusionis vera. Consequentia patet, cum nullus actus peccatoris mortalis sit meritum. Sed probatur antecedens: quia peccator mortalis, stante culpa mortali, potest elicere actum amoris circa Deum, actum scilicet incomplexi amoris, et non necessitatur in sic eliciendo amorem diligere Deum propter aliud a Deo; ergo **[115]** potest diligere tali amore elicito incompleto Deum propter se, et non propter aliud (exponendo li non propter aliud ut expositum est in artic. praeced.) et per consequens frui potest Deo: quod fuit antecedens probandum. Confirmatur idem antecedens sic secundo: Si detur oppositum, sequitur quod quilibet amor incomplexus elicited de Deo ab existente in culpa esset usus, et per consequens peccatum; cum omne uti

fruendis sit perversitas secundum Augustinum. Consequens est falsum. Patet consequentia: quia non contingit dare actum medium incomplexum inter frui et uti, ut videbitur in quaest. seq. Quod autem consequens sit falsum, patet: quoniam peccator dars eleemosynam pauperi amore Dei praecise, id est, praecise ideo dars quia amat Deum aliquo modo, non dicitur peccare in sic dando, nec in sic amando: fateor tamen, quod nullus talis amor peccatoris mortalis est frui taliter, qualiter frui obligantur ex praecepto; et nullus talis taliter diligens implet praeceptum de dilectione. Tertio probo idem antecedens sic: Existens in culpa mortali potest, permanente ipso in eadem, frui creatura alia a seipso; ergo potest frui Deo. Antecedens videtur notum esse, et concessum communiter; et probatur: quia quis existens in mortali potest diligere famulum vel alium hominem honestum praecise propter se, non sperans vel optans aliquod sibi bonum a famulo vel amico pro futurum, nec referens aliquo modo amorem istum suum in seipsum diligentem, sed sistendo finaliter et ultimate ad famulum dilectum vel amicum: illud experimur in nobis ipsis; ergo. Sed consequentia principalis probatur: quia existenti in culpa potest apparere Deus aequae vel magis diligibilis, quam alia res citra Deum; et cum non videatur ratio quare sit magis liber ad conformiter diligendum ratione diligibilitatis apparentis respectu creaturarum quam respectu Dei, sequitur quod aequae libere poterit, vel saltem non minus libere frui Deo, quam creaturis.

Dixi autem notanter in antecedente huius rationis, quod peccator potest creaturam aliam a se ipso: quia existens in peccato mortali aliquo modo potest frui seipso, quo modo dum est in mortali non potest frui nec Deo, nec aliis; puta, quia potest diligere se super omnia fruendo, qualiter non potest, quamdiu manet in mortali, frui aliqua [116] alia re. Et per hoc tollitur instantia qua posset fieri contra hic factam rationem; quia si per similem rationem argueretur: Existens in mortali ut sic potest frui seipso, diligendo seipsum super omnia; igitur potest diligere Deum super omnia dum est in mortali: Dico quod argumentum non valet; dato etiam quod haberet dictamen actuale, quod Deus esset summum diligibile: et ratio huius rei est, quia creatura sine speciali iuvamento non potest ultra seipsam; et de hoc infra in quaest. de dilectione super omnia diffusius pertractabo.

Prima conclusionis est Augustini 83. quaestionum quaest. 38. dicentis: Summa perversitas est frui utendis, et uti fruendis. Ex Conclusionem potest inferri corollarie, quod frui Deo non convertitur cum dilectione Dei super omnia, nec valet hac consequentia: B sufficit ad Deo fruendum; ergo sufficit ad Deum super omnia diligendum. Patet: quia omnis dilectio actualis Dei super omnia in viatore est meritum, et actualis iustitia; non sic est omnis fruitio, ut patet per Conclusionem. Quod autem omnis dilectio Dei super omnia sit iustitia, apparebit infra ubi de hoc dicitur.

Secunda conclusio. Licet nulla fruitio Dei ex charitate procedens fiat sine praemio in praedestinato; nullus tamen diligit Deum propter praemium sine peccato. Et capio li propter prout denotat circumstantiam causae finalis, et non ut li propter denotat occasionem. Probatur prima pars: quia quaelibet actualis iustitia in praedestinatibus est meritoria certae latitudinis praemii aeterni. Secunda pars patet: quia diligens Deum finaliter propter praemium, vel (ut cautius loquar) propter praemium ultimate; non diligit Deum propter se, sed propter aliud volitum, scilicet propter commodum proprium: quod utique peccatum est. Haec Conclusio est Bernardi de Diligendo Deum dicentis: Deus non diligitur sine praemio: ecce conclusionis prima pars: Etsi absque intuitu praemii diligendus sit: ecce pars secunda. Et subdit utriusque rationem cum dicit: Vacua enim charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est: ecce conclusio tota cum eius probatione. Ex quo sequitur, quod capiendo li propter ut in conclusione capitur, nullus licite diligit [117] Deum propter beneficium nec perceptum nec speratum: non nego tamen, quin beneficia licite sint nobis occasiones, et quodammodo incitamenta vel causae dilectionis Dei propter seipsum ultimate; cum ad eum omnia bona collata referimus gratias agentes pro universis beneficiis, quae diligimus finaliter propter ipsum Deum.

Tertia conclusio, quam non assero, sed probabiliter pono. Non est nobis naturaliter evidens (evidentia scilicet reducibili ad primum principium) quod aliquo obiecto sit licite fruendum. Probatur: Illud non est evidens de aliquo obiecto creato, nec de aliquo obiecto increato (modo dicto in Conclusionem); ergo. Consequentia est nota, et prima pars antecedentis. Sed probatur secunda pars antecedentis sic: Non est dicto modo nobis notum, esse aliquam essentiam summe et infinite perfectam, qua scilicet maior aut perfectior non posset excogitari; ergo. Consequentia patet: quia secundum fidem solum talis essentia est licite fruitionis obiectum. Si igitur non est nobis dicto modo evidens, aliquam talem essentiam esse in re, non est nobis evidens modo dictae evidentiae, quod ipsa sit fruendum vel quod ipsa sit obiectum licitae fruitionis. Sed probo assumptum ex suppositis in quaest. principii sic: Dicta evidentia non est in nobis prima evidentia, id est: Sic esse quod Deus est, non est nobis evidens evidentia prima immediate, ut notum est; nec a priori hoc nobis notum est, cum, si esset, tunc haberet causam; ergo si hoc esset nobis evidens quod Deus esset, hoc esset evidens nobis evidentia causata ab effectibus, et a posteriori: Sed hoc non est ita, quia sine opposito primi principii (quod est primo evidens nobis) stat, quamlibet rem quae non est haec essentia nec pars eius esse, et ipsam non esse; non est enim contradictio evidens naturaliter si dicatur, Haec res (puta A esse) est, et quaelibet quae non est A nec pars eius dicatur non esse; ut ibidem, scilicet quaestione principii deduxi. Cum igitur quaelibet res creata sit totaliter distincta ab ipsa summa essentia quae Deus est, ad nullam rem quam creatam credimus esse sequitur, hanc essentiam esse evidenter evidentia scilicet reducibili in principium primum; ergo. Illud idem antecedens probatum fuit aliquantulum in quaestione principii, et amplius tractabitur infra in distinct. Sequenti. Ex conclusione [118] infero corollarium: quod non est dicto modo nobis naturaliter evidens, aliquam creaturam posse bearum. Patet ex Conclusionem et eius probata: cum non sit nobis dicto modo evidens Deum esse, vel esse posse. Item quia est articulus fidei, credimus vitam aeternam. Hac tamen hic, et ubicunque dixerim, dico opinative et probabiliter, sine assertione temeraria.

Quarta conclusio: Licet viator qualibet re possit uti, non tamen potest frui qualibet re. Probatur prima pars: quia viator uti potest Deo male et perverse, et qualibet creatura potest uti bene vel perverse; ergo. Secunda pars Conclusionis patet de summa miseria, vel de privatione totius bene esse; et accipio rem in Conclusionem large, prout se extendit ad sic esse complexe significabilia. Corollarium: Non quodlibet sic esse complexe significabile est propter se diligibile. Patet ex secunda parte Conclusionis.

Quinta conclusio, et Responsalis ad quaesitum: Licet qualibet alia res a Deo possit esse obiectum liciti usus; solus tamen Deus est obiectum licitae fruitionis. Probatur prima pars Conclusionis: Quaelibet res, quae non est Deus, potest licite diligi vel contemni propter Deum, et quodlibet aliquantulum esse creatura potest acceptari seu diligi, vel deacceptari et detestari seu odiri propter Deum; ergo. Secunda pars Conclusionis patet per Augustinum. et habetur in litera: quia res quibus fruendum est quae nos beatos faciunt, sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus, quae res sunt unum, bonum, aeternum, infinitum, et incommutabile, et ideo licite non potest referri in aliud, sed ipsum solum est ultimum propter se amandum. Ex conclusionis prima parte sequitur corollarium, quod uti possumus licite divitiis et peccatis; non diligendo, sed odiendo. Ex secunda parte sequitur, quod beatitudo formalis, id est, formaliter menti beatificae inhaerens non est licite fruibilis: patet, cum ipsa non sit Deus.

Sexta conclusio: Quaelibet rationalis creatura tenetur frui Deo quadam fruitione regulativa omnium volitionum ipsius electivarum, tam complexarum quam incomplexarum. Haec Conclusio duas habet partes probandas. Prima est, videlicet quod quaelibet rationalis [119] creatura tenetur frui Deo. Probatur: nam quaelibet mens creata tenetur diligere Deum, et tenetur diligere amore non relato in aliud amatum a Deo; igitur tenetur frui. Consequentia patet ex dictis. Sed probatur antecedens pro prima parte, scilicet quod quaelibet mens creata tenetur amare Deum: quia quaelibet mens creata tenetur esse perfecta sic, quod impossibile est ipsam

non debere esse perfectam, et non teneri esse iustam: sed nulla creatura potest esse iusta et perfecta sine amore Dei; igitur. Haec ratio est Augustini lib. 1. Homiliarum Hom. 30. Vita cordis, inquit, amor est, et impossibile est quod sine amore sit cor, quo quidem unire cupit: aut igitur rationalis mens seipsam amat, aut aliud necesse est, et impossibile est quod perfecta esse non debeat, et nisi aliud perfectum bonum amet, quo perfici solo potest, non erit perfecta; perfici autem non potest, si amare Deum contemnit: igitur nisi feliciter amare desideret, felix esse non potest. Haec ille. Idem Super psal. 61. Cum sis iniustus non potes esse iustus, nisi convertaris ad quandam manentem iustitiam; conversio autem fit amore. Unde infra: Si recedis a manente iustitia, iniustus es, ad quam si accedis iustus accedis; accedis autem amando ipsam manentem iustitiam. Patet autem quod voluntas tenetur ad iustitiam et esse iusta; alioquin posset sine culpa cum usu liberi arbitrii nunquam diligere iustitiam, et liceret sibi non esse iustam: quod est impossibile secundum Augustinum. Secunda pars antecedentis, scilicet quod mens creata tenetur diligere Deum amore non relato in aliud amatum, patet per conclus. praeced. Et confirmatur: quia in nullo alio a Deo reperitur ratio vere bene essendi creaturae; igitur in quocunque alio a Deo mens ultimate quiescit, male est menti, et ipsa erit mala: sed tenetur non esse mala; igitur de primo ad ultimum tenetur ultimate Deo inhaerere per amorem. Haec ratio traditur ab Augustino super psal. 70. ubi dicit: Si amore recedis a me et bene tibi erit, non sum ego bonum tuum; si non sum bonum tuum, non sum ego Deus tuus: quod est falsum. Et ideo consequenter subdit: Proinde si ipse Dominus bonus, et summe bonus, et de se sibi bonus, et nullo alieno bono bonus, et ipse summum bonum nostrum; **[120]** recedendo inde, quid eris nisi malus? Haec ille: patet igitur Conclusio quoad partem primam.

Secunda pars Conclusionis, scilicet quod illa fruitio sit regulativa omnium volitionum [...] probatur primo de volitionibus electivis incomplexis: Quia fruitio Dei debet esse mensura earum, ut scilicet tanto diligentur et placeant, quanto sunt imitatio quaedam summe amabilitatis in Deo; et hoc sive sit imitatio secundum essentiam, sive secundum iustitiam, sive secundum aliam quamlibet perfectionem. Secundo patet idem de complexis: quia quaelibet creatura tenetur ut volitiones eius sint rectae et regulatae: sed a sola fruitione Dei caeterae volitiones creaturae sunt rectae et regulatae; ergo. Maior nota: et minor est Augustini in pluribus locis, primo 11. de Trinit. 19. Rectae sunt, inquit, omnes voluntates, id est volitiones, et sibimet regulatae, si bona est illa qua cuncta referantur. Item haec est radix prima charitatis actualis, de qua Augustin. de Spir. et lit. dicit: Non autem est fructus bonus, qui de radice charitatis non surgit. Item 5. lib. contra Iulianum: Omne quod fit tunc recto fit, cum Deus gratis amatur, id est propter se. Item Enchirid. penultimo: Quidquid fit, si non referatur ad illam charitatem quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus nostris, non fit quemadmodum fieri debet. Et: Oportet igitur, si fiat sicut fieri oportet, referatur ad fruitionem Dei perfectam, quae est dilectio Dei non solum propter se, qualis expressa fuit supra in Conclus. 1. Sed alterius speciei et nobilioris, quae est dilectio Dei super omnia actu vel habitu, et haec est prima radix actualis charitatis, ad quam omnis recta dilectio habet reduci. Ex quo infero, quod nulla volitio non reducibilis in amorem Dei est virtuosa vel recta: secundo infero, quod omnis volitio ab amore Dei scienter retorta est perversa.

Septima conclusio: Omnis, qui fruitur Deo illa specie fruitionis quae est Diligere Deum super omnia, ad quam quaelibet mens libero arbitrio obligatur; oportet in quolibet suo electivo operari saltem habitualiter Deo per desiderium efficaciter inhaerere, et eius voluntatem per omnia adimplere. Probatur: quoniam qui aliquid summe diligit continue cupit in ipso quietari, et placet sibi quidquid cognoverit **[121]** placere eidem, alioquin non summe diligeret. Haec Conclusio videtur esse de mente Augustini in serm. de uno Martyre, cum dicit: Hoc est Deum gratis, scilicet summe amare, de Deo Deum sperare, de Deo desiderare impleri, de Deo velle satiari; in ipso enim habere complacentiam, toto conatu causat desiderium ipsum perfecte possidendi, et causat desiderium, id est, facit desiderare voluntatem eius per omnia impleri; quoniam cui sum me placet Deus, illi placet quidquid cognoscit placere Deo.

Sed contra dicta in descriptione fruitionis dubitatur de quodam ibi tacto, videlicet, quod fruitio beatifica non est effective a mente beata. Cuius oppositum arguo sic: Beatus fruitur Deo fruitione beatifica; igitur agit et efficit ipsam, saltem ut coefficientis partiale. Consequentia probatur: quia non videtur possibile, quod mens creata actualiter diligit, et non producat dilectionem. Confirmatur: quia si beatifica dilectio vel delectatio est a solo Deo effective; ponat igitur Deus ipsam in mente beati et conservet eam, praeter hoc quod beatus fruatur per illam; hoc totum est possibile: Quo facto, beatus iste de quo ponitur casus sit B, et fruitio C; tum sic posito casu, B non fruitur Deo per C; incipiat igitur frui per C: cum igitur fruitur B Deo per C postquam non fruebatur per C, sequitur quod facta est aliqua mutatio, quia transitum est de contrario in contrarium, quod fieri non potest sine mutatione in aliquo. Quaero igitur: In quo facta est ista mutatio? Non in Deo dilecto; ut certum est: nec in ipsa certa qualitate, quae fruitio est; quia pono quod maneat eadem: sequitur igitur quod facta est mutatio in B, quia non videtur quod in alio sit mutatio necessario ponenda. Si igitur facta est mutatio in B; igitur B nunc aliter se habet quam prius; igitur aliquid de novo habet quod prius non habuit, vel aliquo caret quod prius habuit: secundum non oportet dare; igitur primum, et habetur intentum: quia illud novum producitur a B, et est illud quo formaliter B fruitur Deo; vel si illud de novo productum non est ab ipso B sed effective a Deo tantum, tunc arguo de eo sicut de C, et proceditur in infinitum. Tertio arguo sic: si mens cognosceret per visionem, et diligeret fruitione causata a solo Deo effective, ipsamet non coefficiente nec visionem nec fruitionem; sequeretur, quod si Deus cognitionem quae est in mente Sortis poneret [122] in mente Platonis, ipse Plato posset cognoscere mediante ipsa, nihil aliud producendo in seipso. Consequens est falsum; probatur ut prius. Similiter sequeretur quod si dilectio qua Sortes diligit Petrum poneretur per Deum in mente Platonis, quod ipsa mediante Plato diligeret vel diligere posset Petrum absque alio actu producto; quod non videtur possibile: quoniam nec Plato diligeret Petrum illa delectione producta a Sorte, nec diligeret aliud a Petro; et per consequens nihil diligeret. Quod autem per illam dilectionem, quae sit A, Plato non diligeret aliud a Petro patet: quia cum ipsa in Sorte sit dilectio Petri, si cum hoc esset vel esse posset in Platone dilectio alterius ipsa semper manente eadem essentialiter, pari modo in Marco esset dilectio eadem A dilectio adhuc alterius: et sic per consequens eadem dilectio creata posset esse in infinitorum distinctorum specie vel numero distincte, et singulariter, et simul. Item qua ratione A in mente Platonis posset esse dilectio alterius a Petro, eadem ratione posset esse dilectio eiusdem in Sorte; et sic Sortes unica dilectione et unico actu posset indifferenter, distincte, et in particulari diligere quamlibet rem: quod est impossibile. Sed quod per A Plato non posset diligere Petrum, probatur: quia sic, sequeretur quod Plato pluribus dilectionibus solum numero differentibus posset diligere Petrum; quod est falsum. Probatur consequentia: quia non est dubium quin Plato possit diligere Petrum dilectione procedente scilicet ab ipso Platone effective, non obstante quod A est in mente ipsius, alioquin A impossibilitaret Platonem ad eliciendum amorem circa Petrum. Item si ponatur, quod Plato nullam habeat notitiam Petri antequam in eius mente ponatur A, tunc clarum est quod A in mente Platonis non posset esse amor vel dilectio Petri; et per consequens, nec alterius. Probatur autem principalis consequentia: quia mens beati respectu fruitionis vel dilectionis infusae taliter se haberet, sicut Plato respectu A quae est dilectio in mente Sortis. Similiter probatur falsitas praecedentis consequentis de cognitione causata per Sortem, et posita in mente Platonis. Sic igitur non videtur possibile quod beatus videre vel frui possit actibus a solo Deo effectis. His non obstantibus.

Dico idem quod prius dixi in descriptione frui. Pro cuius [123] declaratione Nota quod fruitio Dei praecipue in beatis est duplex et distinctarum speciarum, et similiter visio Dei. Una est fruitio seu dilectio Dei in beatis, ad quam mens videns primo coefficientit ad substantiam actus, habens praeviam claram Dei visionem causaliter etiam a mente beata naturaliter a Deo causatam quoad substantiam actus; et ista dilectio seu fruitio est impletio istius magni mandati, scilicet Dileges Deum ex toto corde [...] et est secundo ad quam inclinatur habitus charitatis portatus de

via; de quo dicit Apostolus: Charitas nunquam excidit: et est tertio optima operatio in quam potest creatura effective, scilicet coefficiente ad substantiam actus. Alia est dilectio vel fruitio excellentior et incomparabiliter nobilioris speciei quam prima: et illa est praemium beatificum, et ad eam non coefficiente creatura, sed creatur et efficitur a solo Deo in praemium, eo quod solus Deus praemiat; sed tamen anima vel mens beata elevata lumine gloriae est potens, Deo principaliter operante, isto actu mediante operari et frui Deo: et de illa fruitione nobilissima intellexi dictum, quod hic vertitur in dubium. Haec autem distinctio traditur ab Augustino in lib. de Spir. et. lit. ad Marcellinum circa finem. Et igitur imaginandum, quod ultra visionem et fruitionem, quas mens beata coefficiente Deo, quod in quolibet beato requiritur de communi lege lumen gloriae a solo Deo creatum, per quod mens elevatur ut possit esse parziale conservans respectu visionis beatifica, qua illustratione luminis gloriae elevatur natura mentis, ut possit actualiter summum bonum Deum scilicet infinitum videre visione finita: ista autem visio est a solo Deo creata de novo, et a tribus causis conservata, scilicet a Deo, a lumine gloriae, et a mente: et sic imaginandum puto de visione beatifica, ut alias dixi. Insuper de fruitione imaginandum, quod ista fruitio (de qua in secundo membro distinctionis) est delectatio et dilectio de Deo, speciei multo nobilioris quam sit dilectio vel delectatio consequens visionem quae sit partialiter a mente, et est a solo Deo, et est praemium principale licet non totale, et respectu istius anima est solum conservans, et ipsa actualiter operatur, id est fruitur Deo isto scilicet actu et non coefficiente ad substantiam ipsius; et ut anima sit actualiter per ipsam fruens, requiritur lumen gloriae et visio. Et haec est dilectio principaliter de Deo conveniens viso, et est iustitia, imo corona iustitiae, laetitia, gaudium, delectatio, et fruitio; quae omnia idem in illa re significant. Sic igitur patet aliquantulum intentio mea declarata, scilicet quod non [124] coefficiente beatus ad substantiam istius excellentis fruitionis sed solum a Deo recipit ipsam in praemium. Ad quod tenendum me movet ratio fundata super Opposito cuiusdem Articuli Parisiensis, qui est talis in sententia: Quod pares in meritis, et impares in naturalibus inaequaliter praemiantur; error. Ex quo arguo sic: Si beatus quilibet coefficiente ad suum praemium beatificum essentialiter; igitur B angelus aequalis meriti cum C anima amplius praemium habebit quam C anima: consequens est Articulus condemnatus, et bene; alioquin praemium non corresponderet meritis sed naturalibus, et sic nec anima Christi posset aequaliter praemiari cum minimo angelo, vel saltem de facto nulli angelo in praemio aequaretur; quod est absurdum. Sed probatur consequentia principalis: quia perfectius agens cum aequalibus iuvamentis perfectius agit quam imperfectius, caeteris paribus: sed B angelus est naturaliter perfectior quam C anima, et habet aequalia iuvamina gratiosa cum ipsa C anima, per casum; ergo B perfectius fruitur, quam C. Quod confirmo: quia si B et C relinquerentur in puris naturalibus suis, B respectu cuiuslibet obiecti dati perfectius ageret quam C, etiam in eodem genere actionis; ergo si aequalia gratuita tribuantur eis adiutoria, semper remanebit excessus B super C; ergo in quolibet genere actionis, B perfectius potest agere, quam C; et per consequens, in genere dilectionis Dei perfectius diligit B cum aequalibus gratuitis, quam C: quod fuit probandum. Nec video quid hic dicerent contradictores, nisi quod Deus non coageret ipsi B ad fruitionem secundum excessum istum, scilicet naturalis perfectionis quo excedit C: sed hoc dicitur sine ratione, imo contra rationem; cum gratuita non suspendant naturalia, sed magis perficiant et promoveant. Item secundum istam viam oporteret dicere tenentem, quod quanto creatura esset perfectior naturaliter et minus habens de gratuitis, tanto plus suspenderetur ab actu suae perfectioni naturali proportionato respectu Dei; quod videtur absurdum, vel saltem maius inconveniens quam eius oppositum.

Secundo arguo ex eodem fundamento: quia si beatus quilibet efficeret suam fruitionem praemiatariam et beatificam, sequeretur quod decedentes in aequalibus meritis inaequaliter praemierentur, et forent inaequaliter beati: consequens est falsum; et consequentia tenet per [125] casum, ubi decedant inaequales in naturalibus cum aequali charitate, sicut prius argutum est de angelo et anima. Item similiter sequeretur, quod inaequales in charitate aequaliter praemierentur: quod est falsum. Et consequentia probatur: quia tantus posset esse excessus

naturalis perfectionis, quod suppleret certum gradum coefficientiae charitatis quo alter multum imperfectioris naturae abundaret ab isto multum perfecto in naturalibus. Tenendo igitur praedictam viam,

Respondeo ad rationes in contrarium. Ad primam nego consequentiam. Ad probationem nego assumptum. Ad confirmationem, quae est probatio assumpti negati in probatione consequentiae praecedentis rationis, admitto casum totum: et concedo quod facta est mutatio in B, sic scilicet, quod B aliter se habet nunc quam prius, ut praetendit argumentum; et nego illud quod subinfertur, scilicet, igitur B habet aliquid de novo *etc.* capiendi li aliquid pro aliqua essentia. Si autem pro complexe significabile capitur, tunc concedo; quia nunc B habet agere actuale quod prius non habuit, saltem in proposito non requiritur: non enim oportet, quod ad versificationem contradictoriarum successive fiat mutatio per acquisitionem vel deperditionem novae essentiae; sed sufficit quod fiat mutatio quandoque localis, ut inter dextrum et non dextrum, quandoque sufficit inceptio alicuius sic esse mere complexe et verbaliter significabilis, ut in casu argumenti et in simili. Unde ad hoc quod de non vestito fiat vestitus, non oportet aliquam essentiam de novo fieri, ut notum est: et sic est in proposito.

Ad aliud potest dici primo: quod non sit simile de cognitione et fruitione nobilissimis, et aliis cognitionibus et fruitionibus viatorum, et quod hoc sit speciale de illa beatifica, propter multa specialia adiutoria actuantia mentem beatam ad taliter operandum, sicut dictum est. Vel posset dici secundo propter materiam argumenti: quod licet de facto creatura viatrix posset per seipsam cum influenza generali et concursu naturali cognoscere nisi producendo actum notitiae, et sic Plato non posset nec cognoscere naturaliter nec diligere per notitiam vel amorem Sortis, secundum quod supponit argumentum; [126] tamen Deus posset facere, quod Plato cognosceret et diligeret per qualitates causatas a mente Sortis, et positas in mente Platonis. Quamvis Adam in principio suo hoc neget et improbet; et sic videtur eviti tali motivo, quia secundum eum (qui dicit errorem esse, quod Deus non possit in effectum causae secundae sine ipsa) habetur, quod Deus non potest supplere efficere causae secundae respectu effectus saltem incomplexi. Modo (licet sortes vel alter quilibet viator simul cognoscat per B et producat B notitiam) tamen non videtur idem formaliter Sortem producere C notitiam, et Sortem cognoscere notitia C; et ideo non videtur quin Deus possit se solo efficere illam qualitatem, supplendo efficere sortis respectu illius qualitatis, et cooperando eidem. Sorti, et ipsum actuando ut sit noscens praecise per C et non producens. Et simili modo videtur de dilectione esse dicendum: eodem enim modo videtur possibile, si Deus qualitatem iam productam, quae fuit notitia vel amor in mente Sortis, poneret in mente Platonis, quod possit sic actuare Platonem per ipsam ut cognosceret et diligeret sine alterius essentia productione, sicut actuabatur per ipsam mens Sortis; dato quod caetera sint paria. Ad hoc concipiendum iuvare potest illud quod communiter conceditur; scilicet quod Deus cum producit substantiam actus peccati cum mente peccantis, et tamen mens ipsa, sine Deo ipsam movente et impellente, afficitur et actuatur et odit: sic in proposito e contrario Deus se solo efficeret, et creatura Deo cooperante nosceret vel diligeret. Et sic ad formam argumenti secundum primam viam neganda esset consequentia, secundum aliam viam esset concedenda, et consequens. Ad improbationem consequentis dicendum, quod Plato diligeret vel posset diligere per A Petrum: igitur ad improbationem dico non valere consequentiam, cum infertur: quod simul *etc.* sed bene seorsum: consequens tamen non est satis improbatum. Et cum ponitur: quod Plato quando non noverit Petrum *etc.*: dico quod ipsamet dilectio Petri esset sufficiens Platoni ad notitiam Petri in casu proposito; quia ipsa posset esse talis dilectio qua formaliter esset notitia, imo forte amor est formaliter notitia. Et sic de isto Articulo. [127]

ARTICULUS III

Respondetur Contrariis tactis in principalibus rationibus.

Ad tertium solvendae sunt rationes principales. Dico igitur ad primam negando antecedens: quia tali existimatione existente in A viatore, non diligeret B sed Deum; actus enim dilectionis

terminatur super ipsum dilectum et non super B, quod oportet esse istud quod diligitur. Et ideo ratio non procedit.

Ad secundam posset dici uno modo quod antecedens est falsum, accipiendo beatitudinem pro ista qualitate accidentali absoluta. Si autem capitur prout est fruitio Dei beatifica, et beatifice frui sic includit Deum beatificantem; et sic iterum est falsum, si dicatur magis bona creatura quam Deus. Aliter potest dici, quod non ideo est aliquo licite fruendum quia bonum fruendi; et ideo non sequitur: Hoc est te melius, ergo hoc est magis diligendum a te.

Ad tertiam dico, quod licet anima sit finita essentia, est tamen infinitae capacitatis obiective, id est, capax est infiniti obiecti: et ob hoc nullum obiectum finitae perfectionis ipsam mentem satiare potest obiectualiter, licet secundum aliquos satiari possit aliquo finito informative, et secundum quid. Per hoc patet ad formam argumenti. Et sic est finis. **[128]**